Fragmentarium

1 III 4 f.

h querebam usum nequissimum superare. Sed heu difficile est peccati consuetudi-
nem uincere. prauus uir abluit usus. Assidua consuetudo in na-
tura conuertitur. Assiduo usu in natura uertitur uicium. In hunc
peccati usu astrictus detineor. Mala consuetudo me sibi grauiter
implicauit. Longa consuetudo in melius sibi et legem fecit. Usus
peccandi necessitatis uinculis me abstrinxit. quo a lapsu ressurgere
et non ualeo usui repugnare. Retrahor boni amore retrahor
male consuetudinis lege. Longius peccandi usus me superatum
obtinuit. peccata mea consuetudine duruerunt. Volo agere bonum
sed desidia consueta non sinit. Consuetudine peccandi quando nescio sic de-
linquo. peccati usu quando non obtento inretio. prauo usu contrarie uictoris
carnis desiderio adgrauor. Ad iusticiam me amor erigit sed ad peccatum
R consuetudo constringit. Reluctare contra prauam consuetudinem pecca-
di tota uirtute repugna. Vince usum carnalem etiam cum dolore
quod uis cum difficultate perniciosam consuetudinem uince. quod uis cum dolore
usui malo resiste. Sicut enim qui in multis cogitacionibus est ea
frequenter sompniat de quibus cogitat. ita qui plura uoluerit dediscere
intate disserere in stulticiam incidet. Si spiritus principis irruerit
super te de loco tuo non recedas quia pudicicia com[illegible] primit peccata magna. id est
si titillauerit te uel mentem tuam diabolus et te ad libidinem concitauerit
ne sequaris cogitacionem pessimam et blandientem uoluptatem. sed ca-
ue fortiter et rigidus et frigore castitatis flammam uoluptatis ex-
tingue. Sapiens omnia prudenter examinat inter bonum et malum
sapiens intelligendo diiudicat. Summum bonum est scire quid caueas
summa miseria est nescire quo tendas. dilige ergo sapienciam et manifesta-
bitur. accede ad illam et appropinquabit ad te. Assiduus esto illi et instruet te
Quicquid bonum cum discrecione feceris uirtus est quicquid sine discrecione
egeris uicium est. Virtus enim indiscreta pro uicio deputatur. Virtus
sine discrecione uicem obtinet locum. Multa sunt consuetudine uicia-
ta. Multa prauo usu presumpta. Adime consuetudinem serua legem
Usus auctoritati cedat; prauum usum lex et racio uincat. Nulla pena
grauior conscientia. Nonnulli solent interrogare si temporibus rege-
neracionis liceat sacrificium mediatoris offerri pro uiris flagiciosissi-
me uiuentibus et inmanibus operibus perseuerantibus de hac questione
uaria exposicio patrum inuenitur. Sed singula ante oculos ponamus que
ad memoriam occurrunt. Venerabilis namque pater augustinus
ad paulinum de cura gerenda pro mortuis ita dicit. quod uis non
pro quibus fiunt. omnibus prosunt. sed eis tantum pro quibus dum uiuunt comparatur ut
prosint. Sed quia non discernimus qui sunt oportet ea pro regeneratis
omnibus facere. ut nullus eorum pretermittatur ad quos hec beneficia possunt et debe-
ant peruenire.

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 95.3, 1r – Tractatus de peccatis; Poème pieux
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-1obr/1406/18734)